ILLUSTRISSIMO COETUI,

FAMA SUPER ÆTHERA NOTO,

QUI ATHENIENSIUM PERCELEBREM SUPRA LYCEUM MAGNAM LAUDEM EXCIDIT, MAJORI GLORIA EXCEDIT:

IN ATHENIENSI ERGO FLORES EJUS *fructus clamoris, & vanitatis;* in Hispalensi enim *fructus honoris, & honestatis.*

NITIDIORI CAISTRO,

TANTIS MITISSIMIS CYGNIBUS EXORNATO, QUANTIS CANDIDISSIMIS INGENIIS EXPOLITO, IN QUO, VELUT SUPREMI JOVIS SACRATISSIMÆ ALITES TOTIS CALAMIS, TOTIS QUE VIRIBUS

In sua centenas aptant præconia voces,
Cantando toto nomen in orbe suum.

SVBLIMIORI OLYMPO,

IN CUJUS CELSA SPHÆRA TOT LUCES, TOT STELLÆ, TOT ASTRA CLARENT, LUSTRANT, EXPLENDENT, QUOT PROCERES, QUOT PRÆSULES, QUOT PRINCIPES FLORENT, POLIVNT, DECORANT URBEM, PROVINCIAM, ORBEM.

OMNIBVS NAMQVE

EST IN CONFESSO QUANTUM SIT SUUM STUDIUM OBSERVANDÆ NON SOLUM RELIGIONIS, VERUM ETIAM AMPLIFICANDÆ.

QVIS ERGO HIC COETVS;
DOCTISSIMORUM OPTIMUS, ET
OPTIMORUM DOCTISSIMUS
ILLE CONSESSUS;
VIRTUTUM DECOR, AC LITTERARUM
DECUS, NOBILITATIS LIMEN,
AC MAJESTATIS LUMEN.

ILLUSTRISSIMUS, INQUAM,

D. D. DECANVS,

ET CAPITULUM ALMÆ HISPALENSIS,
METROPOLITANÆ, ET PATRIARCHALIS
ECCLESIÆ.

TANTO DENIQUE ECCLESIASTICO Principi hæc Clericorum Regularium Minorum Bœtica Nostra Provincia, pro comitiis Provincialibus congregata, has preciosissimas Margaritas ex inexhauribili Angelici Doctoris sui D. Thomæ Aquinatis Theologico Pelago manu reverentiori de promptas, in suæ gratitudinis debitum

D. O. S.

PRIMUM ASSERTUM.

V*Erbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Joan. 1. Quibus verbis demonstrat singulare Incarnationis Mysterium à sæculis absconditum; cujus finis nostra salus; ut Catholica confitetur Ecclesia. Quid enim Deus fecisset, si homo primus non periisset, nullus nostrum affirmare valet, nisi Sacræ Scripturæ, & SS. PP. testimonio munitus. Nos verò illis pro luce, & Thoma pro duce constanter defendimus, quòd in hac providentia nulla fuit Christo caussa veniendi, nisi peccatores salvos facere. Cùm Jesus Christus Dñs. noster positus sit in signum, cui contradicetur, plures de illo errantes ab utero locuti sunt falsa; inter quos Monothelitæ delirantes in Christo esse duas naturas cum suis potentiis, & operationibus permixtas, & confusas: contra quos sancta mater Ecclesia palàm confitetur: *perfectus Deus, perfectus homo.* Ex quibus constat: utramque naturam, divinam scilicet, & humanam diversis gaudere operationibus. Operationes Christi, ut hominis esse intrinsecè moralitèr infinitas, atque ab intrinseco sufficientes ad satisfaciendum pro offensis totius humani generis, cum D. Thoma pluribus in locis præcipuè in hac. 3. part. q. 1. art. 2. ad 2. firmitèr defensamus.

***

SECUNDUM ASSERTUM.

P*Erfusa divinitate, & ab ipsa quasi penetrata.* Sic ait 6. Synod. gener. act. 17. loquens de humanitate Christi D. super quæ Damasc. *Ipse enim se ipsum unxit; ungens quidem ut Deus sua Deitate: unctus autem ut homo; siquidem Deitas est unctio humanitatis.* Ex quibus communitèr theologi cum D. Thom. inferunt, dari in Christo gratiam unionis, qua humanitas illius substantialitèr sanctificetur pro priori ad gratiam habitualem. In quo tamen gratia unionis, sive substantialis consistat, non est parva inter Thelogos difficultas. Nos verò D. Thomæ subscribentes dicimus: illam non consistere in modo unionis realitèr ab humanitate, & Verbo distincto; ex suppositione quòd detur: non in personalitate Verbi, sed in natura divina. Sanctitatem hanc substantialem esse phisicam, & non præcisè moralem, in quolibet ex prædictis illa consistat, afferimus. Similiterque affirmamus, eam esse de linea essentiæ, non verò delinea naturæ. Prædicatum enim divinum, ut est natura divina, & personalitas Verbi uniri humanitati Christi per modum principii *quo radicalis* operationis supernaturalis, & meritoriæ, implicatorium fatemur. Modum unionis suprâ dictûm negamus etiam, esse principium *quo* radicale, vel aliud quodlibet supradictæ operationis; sed est mera conditio ad agendum, sicuti & personalitas Verbi, & natura divina per modum existentiæ communicata.

TERTIUM ASSERTUM.

E*T vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.*, Joan. 1. Quæ verba interpretantur PP. de dono creato, quod gratia habitualis appellatur: ideo que commune est Theologorum placitum, dari in Christo gratiam habitualem, qua anima ejus accidentalitèr sanctificetur. Sed quia sanctitas alia est de linea essentiæ; de linea naturæ alia: illa ex vi cujus est, & prædicatur aliquid formalitèr sanctum: ista verò media qua, tanquam principio *quo radicali*, elicit operationes supernaturales, & meritorias: ideò in modo, quo sanctificat gratia habitualis animam Christi D. divisi sunt AA. Nos autem cum D. Thom. affirmamus: gratiam habitualem solùm sanctificare sanctitate de linea naturæ. Et alitèr communicari formalitèr animæ Christi hoc donum supernaturale, quam per modum principii *quo radicalis* operationis supernaturalis, & meritoriæ, implicare fatemur. Est que gratia prædicta essentialiter requisita, ut anima Christi exeat in operationes supernaturales, & meritorias; non solùm, quia meritorias, verùm etiam quia supernaturales.

QUARTUM ASSERTUM.

QVI *de cælo venit, ſuper omnes eſt; & quod vidit, & audivit, hoc teſtatur.* Joan. 3. Ex quibus verbis probant Theologi animam Chriſti D. ornatam fuiſſe ſcientia beata, qua Deum in ſe ipſo vidit. Pro comperto habemus, animam Chriſti Dñi. non vidère in Verbo omnia poſsibilia; immò nec vidère poſſe, ſicuti nec eſſentiam divinam comprehendere. Quinimmò probabilius inter Thomiſtas judicamus: non poſſe poſsibilia omnia extra Verbum ab illa quidditativè cognoſci. Quidquid Deus attingit ſcientia viſionis, cognovit anima Chriſti ſcientia beata. Hæc ſcientia eſt intuitiva futurorum, ſi ly *intuitiva* idem ſit, atque evidens, & certa cognitio rei exiſtentis ſub exercitio exiſtendi; ſecùs verò ſi ly *intuitiva* accipiatur in rigore, & propriſsimo modo intuitionis. In ſcientia prædicta conſiſtere de facto beatitudinem animæ Chriſti, communis eſt Theologorum ſententia. *An verò poſsit eſſentia divina uniri ſub munere intellectionis intellectui animæ Chriſti, ut per illam intelligat, & beetur,* dubitatur inter Theologos. Nos tamen cum D. Thom. hìc art. 1. ad 1. & in 3. q. 1. art. 1. & q. 20. de verit. art. 1. hujuſmodi *unionem* (Veſperè) repugnare defendimus.

Litteralis parabitur palæſtra die 16. Septemb. in hac Spirit. S. CC. RR. Minorum Sac. Domo, ubi defenſurus apparebit P. JOANNES MAESSE, *tutela fretus P. DIDACI GODOY, Viſitatoris Prov. ac in Nro. D. Tho. Malacitano Colleg. Primæ Cathedræ Moderat. & Regent.*

EMMANVEL CENTVRIONVS MARQVIO DE ESTEPA, ET LAVLA, ET BIBOLA, ET MONTIS VALLIS, INTER HISPANIÆ MAGNATES PRIMÆ CLASIS.

